Zu

der öffentlichen Prüfung

aller Klassen des Oelsnischen Gymnasiums

am 6ten und 7ten April 1843

ladet ergebenst ein

der Director Dr. Lange.

Inhalt:

1) Observationes criticae in Iliadis librum alterum. Vom Director.

2) Schulnachrichten.

Oels 1843, Druck von Adolph Ludwig.

[illegible]

[illegible]

Observationes criticae
in
Iliadis librum alterum.

Quam rationem et institutionem abhinc quattuor annis exposueram et tenueram, cum in primum Iliadis librum observationes criticas literis traderem, eandem hoc tempore in alterum librum inquisiturus non potui, quin conservarem. Quapropter lata praefatione libellus meus non indiget, vel potius nulla eget. Hoc tamen tamquam novum commemorare convenit, non in iis modo alterius libri locis curam meam esse versatam, ubi a Wolfii judicio discederem, sed in iis etiam, ubi aliorum virorum doctorum sententias in quaestionem vocare et utile videretur et necessarium. Neque vero ubique neque omnium opiniones examinare operae pretium fuit. Conjecturas denique tum aliorum tum meas adjeci commendavique. Nam etiam apud Homerum ad conjecturas confugere licet rarius cogimur. Sed haec hactenus. Ad singula explicanda accedamus.

---

1. *Ἄλλοι*. Hujus lectionis gravissimus testis est Aristoteles, apud quem in Poet. p. 1461 ed. Bekker. haec sunt: *τὸ δὲ κατὰ μεταφορὰν εἴρηται, οἷον „ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες εὗδον παννύχιοι.“ ἅμα δέ φησιν „ἤτοι ὅτ᾽ ἐς πεδίον τὸ Τρωϊκὸν ἀθρήσειεν, αὐλῶν συρίγγων θ᾽ ὁμαδόν.“* Quamquam enim de Il. X. initio Aristoteles loquitur, tamen hoc quoque loco *ἄλλοι* patet eum legisse. Accedit, quod *ἄλλοι* interdum pro *οἱ ἄλλοι* dicitur. Conf. Il. I. 222. XV. 87. XVI. 38. XXII. 39. Od. XV. 302. Memoratu digna tamen est cum aliorum tum Zenodoti lectio: *ὤλλοι* (aut *ὦλλοι*), quae ad h. l. et ad Il. X. 1. affertur. Eam quidem vituperant Scholl. AB. propter articulum, qui ab Homero plane alienus sit, (*ἐλλείπει γὰρ ὁ ποιητὴς τοῖς ἄρθροις ἀεί*), alii vero critici, quia tales crases recentioris Iadis sint. Vide Scholl. ad Apollon. Arg. I. 1081. Etym. M. p. 821, 39. Apollon. de synt. p. 38. Sed

et articulum cum aliis nominibus, tum adjectivo ἄλλος persaepe adjungit, et crasim per articulum facit Homerus. Vide enim Od. XIII. 69 ἡ ἄλλη, Il. XXIII. 454 τὸ ἄλλο, Il. XI. 189. 204 τὸν ἄλλον, Il. II. 665. III. 73. 94. 256. IV. 429. VI. 41. 402. XI. 189. 204. 693. XIV. 368. XVI. 697. 763. XVII. 370. XIX. 83. 345. XX. 23. XXI. 371. 518. XXII. 380. XXIII. 241. Od. I. 26. III. 427. VIII. 40. 107. IX. 61. X. 408. XIII. 169. XIV. 24. XV. 67. XVII. 411. XIX. 83. οἱ ἄλλοι, Od. X. 132. XX. 109 αἱ ἄλλαι, Od. V. 29. XVII. 273. XIX. 115 τὰ ἄλλα, Il. I. 198. II. 675. X. 408. XI. 264. 540. XIV. 427. XVII. 280. Od. VIII. 204. 212. XII. 49. XV. 395. XVI. 133. XVIII. 62. XXI. 210. XXII. 254. XXIV. 79 τῶν ἄλλων, Il. I. 597. V. 131. 820. XV. 134. XVIII. 103. XXIII. 342 τοῖς ἄλλοις, Il. VIII. 211. XI. 406. XV. 67. XX. 135. XXIV. 497. Od. IX. 100. 370. XVI. 404 τοὺς ἄλλους, Od. XIV. 436 τὰς ἄλλας. Porro craseos per articulum factae exempla vide Il. I. 465. II. 428. Od. III. 462. XII. 365. XIV. 430 τἄλλα (quibus locis Wolfius male τἄλλα aut τ' ἄλλα edidit; conf. Göttling. de Accentu p. 384. Buttmanni Gramm. I. p. 115), Il. XI. 288. XIII. 154. 433. XVI. 521. XVII. 689. XIX. 413. XXIII. 536. XXIV. 384. Od. XVII. 416 ὥριστος, Il. V. 396 ωὐτός, Il. IX. 655 τὴμῇ (Wolfius perperam τῇ ἐμῇ), Il. XI. 608 τὠμῷ (Wolfius iterum male τῷ ἐμῷ), Il. III. 235 τοὔνομα, Il. VIII. 360 οὑμός. Cuius craseos patronus extitit etiam Aristarchus, qui Il. X. 539 ὥριστοι pro οἱ ἄριστοι edidit, aeque ac Zenodotus ὤλλοι pro οἱ ἄλλοι. Aristarchus enim neque crasim ab Homero abjudicavit, quippe qui ipse Il. I. 277 Πηλειδήϑελε scripserit, nec omnino articulum. Nam quod ad articulum attinet, Homerum συνήϑως (plerumque) ἐλλείπειν τοῖς ἄρϑροις Aristarchus ap. Apollon. de synt. I. p. 84 affirmat. Atque admisisse Aristarchum interdum articulum, non solum ex Il. X. 539 cognoscitur, sed etiam ex Scholiis ad Il. II. 278. et XI. 142. Falsum est ergo, quod vulgo creditur, articuli usum Aristarchum ab Homero plane abjudicasse. Immo vero nostrae aetatis criticos, opinionis errore, quam sibi ipsi de Aristarcho finxerunt, deceptos articulo multo infestiores esse quam Aristarchum, ex ann. ad II. 278. perspicies. Sed ut ad Zenodotiam illam lectionem revertar, suffragatur ei Apollonius Rhodius cum aliis locis (ὤλλοι vide Argon. I. 998. III. 176. 356. 365. IV. 253), tum ubi locum nostrum imitatur: Argon. I. 1081 ὤλλοι μέν ῥα πάρος δεδμημένοι εὐνάζοντο ὕπνῳ ἀριστῆες. Quae cum ita sint, utrum ἄλλοι an ὤλλοι et hoc loco et Il. X. 1. et Il. XXIV. 677 anteferendum sit, admodum est dubium.

2. Ἥδυμος, non νήδυμος, in antiquissimis Homeri exemplaribus extitisse, tum ex imitationibus veterum poetarum perspicitur, Hesiodi (Tzetz. ad Hom. p. 4. Herm.), h. Hom. in Merc. 241. 449. Epicharmi, Alcmanis (Etym. M. p. 420, 46), Simonidis, Antimachi (Scholl. ad h. l. Eustath. p. 163, 28), Apollonii Rhodii (Argon. II. 407), tum ex certis grammaticorum testimoniis. Etenim Scholl. ABLV τὸ νήδυμος μετὰ τοῦ ν, καὶ οὐχὶ ἥδυμος, ὥς ἔνιοι παρὰ τὸ ἡδύς. Eustath. p. 163, 29 τινὲς καὶ ἐπὶ Ὁμήρου τὴν λέξιν ταύτην εἰς ταὐτὸ ἐβιάσαντο, ἀναγνόντες νῦν

οὕτω· Δία δ' οὐκ ἔχεν· εἶτα, ἤδυμος ὕπνος. Quae vox quomodo in νήδυμος corrupta sit, egregie Buttmannus in Lexil. I. p. 179 seqq. demonstravit. Cuius haec extremo sunt verba: „Dass aber ein grammatischer Dichter, wie Apollonius, ἤδυμος braucht, und nicht νήδυμος, ist ein Beweiss, dass in den älteren Ausgaben des Homer die Variante ἤδυμος wirklich nicht nur existirte, sondern auch vor den aristarchischen Zeiten von den gelehrteren vorgezogen ward." Ac recte quidem, quia νήδυμος non est, quod Aristarchus excogitavit (aliorum placita silentio praeterire licebit), ἀνέκδυτος, qua quidem interpretatione linguae leges laeduntur, sed ἀνένδυτος, non intrabilis, ut ἀμφίδυμος ab omni parte intrabilis est. Inepta igitur cum sit connexio νήδυμος ὕπνος, ad ἤδυμος redeo. Ἡδὺς autem et γλυκὺς ὕπνος saepe apud Homerum.

4. Scholl. ABL τιμήσῃ] ἄλλοι γράφουσι τιμήσει (sic)· τοῦτο εὐκτικόν, τὸ δὲ ὀλέσῃ ὑποτακτικόν. Hinc Hermannus (Opusc. I. p. 288), Thierschius (Gramm. §. 346, 19, b), Vossius (Sched. critt. I. p. 229) τιμῆσαι, ὀλέσαι, Spitznerus τιμήσει', ὀλέσαι finxerunt. Hermannus tamen ipse in Opusc. II. p. 28. seq. exempla profert, quibus conjunctivi huius loci defendi possint, atque in Opusc. V. p. 56 ad vulgatam lectionem redit. Ac nulla sane mutandi causa est. Nam in sententiis iis, quae ex tempore praeterito pendent, conjunctivus non raro usurpatur etiam in re non ad praesentiam pertinente. Vide Il IV. 230. 486. V. 524. 567. VII. 5. XI. 474. XIII. 64. 649. XIV. 165. 522. XV. 23. 363. 598. XVI. 650. XVII. 728. XX. 168. XXIV. 581. Od. IV. 357. 792. IX. 102. 377. X. 24. XIV. 65. XVI. 369. XVIII. 348. XIX 206. XX. 286. Qui usus non Homeri peculiaris, sed communis Graecorum est. Confer Matthiaei Gramm. §. 518, 4. Ceteris vero gravius Spitznerus est lapsus, qui nesciebat, terminationem ειε non decurtari apostropho. Nam siqua in editione Wolfiana exempla istius elisionis deprehenduntur, aut conjecturae eae sunt iterum removendae, velut Il. IX. 386 πείσει' Barnesii, aut singulorum librorum lectiones, ut Il. IV. 178 τελέσει' in uno cod. invenitur. Consule Thiersch. Gramm. §. 164, 4 p. 245.

Πολεῖς pro πολέας scribendum esse ad I. 559 ostendi.

8. Gerhardius hiatu illegitimo, qui in lectione vulgata οὖλε Ὄνειρε est, offensus (Lect. Apollon. p. 178) οὐλό' Ὄνειρε ut legatur, suadet allato ex Apollon. Argon. II. 85 οὐλοὸν ἆσθμα. Equidem οὖλος Ὄνειρε legendum suspicor. Similiter Il. IV. 189 φίλος ὦ Μενέλαε, et φίλος pro φίλε non addito nomine: Il. IX. 601. X. 169. XXI. 106. XXIII. 313. 343. 627. Od. III. 313. VIII. 413. XVII. 415, et ὦ φίλος: Od. III. 375. XVII. 17. Aliorum quoque nominum nominativi vocativi vice funguntur. Il. I. 231 δημοβόρος βασιλεύς· ἐπεὶ οὐτιδανοῖσιν ἀνάσσεις. III. 276 Ζεῦ πάτερ.... Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς. Od. XIX. 406 γαμβρὸς ἐμὸς θυγάτηρ τε, τίθεσθ' ὄνομ', ὅ ττι κεν εἴπω. Il. VI. 261 vulgata lectio fuit μήτηρ, Wolfius ex uno cod. μῆτερ recepit. Il. XIV. 337 Ποσειδάων omnes libri praebent praeter Venetum, in quo Ποσίδαον est, ex quo Wolfius Πόσειδαον fecit. Sed etiam h. Hom. XXII. 6

et Epigr. VI. 6 *Ποσειδάων* pro vocativo est. II II. 363. 436. IX. 96. 163. 678. 698 libri nonnulli *Ἀγαμέμνων* pro *Ἀγάμεμνον* offerunt.

12. Vulgata est *πανσυδίῃ*, eademque Il. II. 29. 66. XI. 708. 724 redit. Aristarchi autem hanc lectionem fuisse, Scholl. ad h. l. et ad v. 29 testantur. Nam Aristarchus propter *ἄνστησον*, *ἀνστήσεσθαι*, *ἀνστήτην* assimilationem repudiavit, falsa analogia inductus, cum ante *στ* omnino nullus sit assimilationi locus. Sed ante Aristarchum *πασσυδίῃ* vulgatam et doctioribus viris probatam fuisse lectionem, indicio est, quod Apollonius Rhodius ubique *πασσυδίῃ* utitur. Confer Gerhardii Lect. Apollon. p. 94 et Wellauer. ad Argon. I. 323. Apud Callimachum (h. in Del. 159) et Aratum (conf. Voss. p. 125) alii libri *πασσυδίῃ*, alii *πανσυδίῃ* offerunt. Apud Eurip. Tro. 792 *πανσυδίᾳ*, ap. Xenoph. Hell. IV. 4, 9 Ages. 2, 19 *πασσυδίᾳ*, Cyrop. I. 4, 18 *πασσυδὶ* legitur. Inter posterioris aetatis viros doctos alii Aristarcho sunt obsecuti, alii ab eo dissederunt. Apollonius enim in lex. Hom. p. 536 *πασσυδίῃ* habet silentio praetermittens alteram lectionem. Eustathius vero p. 166, 14 *τὸ πανσυδίῃ*, inquit, *καὶ διὰ τῶν δύο σ γράφουσιν οἱ παλαιοί, ὡς τὸ σύσσιτος, σύσσωμος καὶ τὰ ὅμοια.* Hesychius II p. 854 *πανσυδίῃ* et p. 889 *πασσυδίῃ*, Etym. M. p. 650, 54 *πανσυδίῃ* affert. Hoc vero loco codd. Mori, Barocc. Harl. Eton. a sec. m., Mosc. 2, ed. Ald. 2. atque Il. XI. 708 et 724 codices longe plurimi et editiones veteres *πασσυδίῃ* servant. Ac recte hoc Thierschius in Gramm. p. 172, 2. Buttmannus in Gramm. II. §. 120 ann. 12. Lobeckius ad Soph. Aj. 836 et in Paralipp. p. 364 seq. praeferunt.

15. Aristoteles de Soph. elench. p. 166 ed. Bekker. *οἷον*, inquit, *καὶ τὸν Ὅμηρον ἔνιοι διορθοῦνται πρὸς τοὺς ἐλέγχοντας ὡς ἀτόπως εἰρηκότα „τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ.“ λύουσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ λέγοντες τὸ οὐ ὀξύτερον. καὶ τὸ περὶ τὸ ἐνύπνιον τοῦ Ἀγαμέμνονος, ὅτι οὐκ αὐτὸς ὁ Ζεὺς εἶπεν „δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι,“ ἀλλὰ τῷ ἐνυπνίῳ ἐνετέλλετο διδόναι.* Idem de Poet. p. 1461 *κατὰ δὲ προσῳδίαν, ὥσπερ Ἱππίας ἔλυεν ὁ Θάσιος τὸ „δίδομεν δέ οἱ,“ καὶ „τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ.“* Quibus ex verbis duae res colligi possunt: primum, Hippiae aetate i. e. sexto a. Chr. n. saeculo *δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι* unicam fuisse huius loci lectionem, alteram vero, quae hodie vulgata est: *Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐφῆπται* nondum Aristotelis aetate extitisse. Nam si extitisset, quid impedivisset homines religiosos, quin ea substituta Jovem mendacio poetamque impietate liberarent? Deinde eandem ob causam, propter quam Hippias *διδόμεν*, infinitivum pro imperativo, scripserit, ab Alexandrinis demum criticis quin *Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐφῆπται* ex v. 32 huc translatum sit, vix potest dubitari. Aliam difficultatem, quam invenisse sibi visi erant viri docti, ab eodem Aristotele nobis conservatam, Il. X. 1, eadem criticorum Alexandrinorum diligentia sublatam esse probabile est. Quod jam Hermannus ad Aristot. Poet. p. 181 indicavit. Reduco igitur antiquissimam illam lectionem, quam etiam Bentlejus probavit.

27. Scholl. ABL ap. Bekk. *σεῦ*, ap. Vill. *σεῦ] ὀρθοτονητέον τὴν σεῦ (ἐν*

ap. VIII.) ἀντιδιέσταλται γὰρ πρὸς τὸν Ἀχιλλέα· ἢ ὅτι πρόκειται τοῦ ῥήματος ἡ ἀντωνυμία. Tzetz. in Exeg. Il. p. 90, 28. edd. Aldd. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. Basill. 1. 2. ὅς σεῦ exhibent. Iis Spitznerus et obsecutus est et in gratiam Scholiastarum Il. VI. 409. XVIII. 77. XIX. 185 citat, quorum locorum alia est ratio. Nulla enim singularis vis sermonis in pronomine h. l. est, inaneque hoc opponendi studium grammaticorum. Confer Lehrsii Quaest. Epp. p. 121 seq. Accedit, quod ex Il. XXIV. 174, ubi hic versus repetitur, veram esse vulgatam lectionem perspicuum est. Eandem tuentur Eustath. p. 168, 24. Interpr. gr. ap. Bekk. atque ed. Steph.

28. Vulgo hic et v. 65 σε κέλευσε legitur. Hoc autem loco codd. Mori, Barocc. Vind. un., illo loco codd. Harl. Vrat. a. Vind. un. σ' ἐκέλευσε, codd. Ven. Lips. Townl. Eton. h. l., Lips. Townl. v. 65 σ' ἐκέλευε offerunt, Ven. v. 65 σε κέλευε, atque Schol. A. θωρῆξαί σε κέλευε] γράφεται θωρῆξαί σ' ἐκέλευε. Augmento restituto σ' ἐκέλευσε utroque loco scribendum. Vide enim σ' ἐκέλευσε Il. XV. 176. XXIV. 175 (quo loco Wolfius vulgatam immerito omisit), μ' ἐκέλευσα Od. XIII. 274, μ' ἐκέλευσε Od. VII. 304 (ita edd. vett. omnes, vulgata ante Wolfium μ' ἐκέλευε, Wolfius ipse με κέλευε nescio unde), δ' ἐκέλευσα Od. IX. 326, δ' ἐκέλευσε Il. VIII. 318. XI. 641. XVI. 727. Od. V. 384, τ' ἐκέλευσεν Il. XXIII. 568, ῥ' ἐκέλευσε Od. XXI. 175. Porro μ' ἐκέλευε Il. V. 199. XXII. 101. Od. VII. 304 (ita vulgo ante Wolfium), δ' ἐκέλευε Il. XV. 717 (ita vulgo ante Wolfium), τ' ἐκέλευον Il. XVIII. 13. Od. XII. 193. Alia et augmenti et elisionis exempla ad VI. 324 afferam.

29. Vulgo πανσυδίῃ legitur. Codices complures πασσυδίῃ offerre, Heynius testis est. Confer. ann. II. 12.

34. Lectionem vulgatam ἀνήῃ, licet ab Aristarcho profecta esse videatur, ferendam non esse, jam Thiersch. in Gramm. §. 224, ann., Buttmann. in Gramm. I. §. 107 ann. 33 demonstraverunt. Ipse de hac falsa productione, qua ε in η mutatum est, copiosius ad III. 436. VI. 432. VII. 340 disputabo. Thierschius ἀνείῃ legendum haud male quidem conjecit, sed sufficit ἀνίῃ, lectio codd. Vindd. Vratt. Ab. Lips. Verbi enim ἴω compluria sunt apud epicos certa exempla: ξύνιον Il. I. 273, προΐει Il. II. 752, ἀνίεις Il. V. 880 (Wolfius contra librorum auctoritatem ἀνιεῖς scripsit), μεθίεις Il. VI. 523. Od. IV. 372 (Wolfius Il. VI. 523 μεθιεῖς, conjecturam suam, praetulit, at Od. IV. 372 μεθίεις aequo animo tulit), μεθίει Il. X. 121 (Wolfius μεθιεῖ Heynii conjecturam adoptavit), μεθίῃσι Il. XIII. 234. Alia exempla vide h. in Ven. 153. Theogn. 1240 ed. Bekker, multa etiam apud Herodotum. Conf. Thiersch. Gramm. §. 226, 91 et 92.

35. Vulgo ἀπεβήσατο legitur. Sed codd. Ven. Townl. Lips. Mosc. 1. 2. Eton. Schol. A. in lemm., edd. Flor. Aldd. 2. 3. Steph. Junt. Turn. ἀπεβήσετο offerunt. Adde Schol. B ἀπεβήσατο] ὁ μὲν Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ε γράφει, ὃ καὶ ἄμεινον. οἱ δὲ ἄλλοι διὰ τοῦ α. Spitznerus ἀπεβήσετο bene recepit. Confer. ann. I. 428. II. 48.

36. Vulgatam ante Wolfium lectionem, ἔμελλε, non solum Venetus tuetur,

sed omnes, praeter unum, codices omnesque veteres editiones, nisi quod in Flor. et Ald. 1 ν paragogicum additum est. Haec fuit Zenodoti lectio teste Schol. L ἔμελλεν] ἡ Ζηνοδότειος γραφὴ διὰ τοῦ ε, οἱ δὲ διὰ τοῦ ο. Alteram hanc lectionem ἔμελλον etiam Schol. A. commemorat, quamquam in lemm. ap. Villois. ἔμελλε habet. Porro pluralem praebent Vind un. et Eustath. p. 168, 39. Sed jam Homerus singularem praedicati numerum plurali subjecti neutrius generis persaepe adjungit. Quod cum parum cognitum videam, huius usus exempla sat multa afferam: Il. I. 53. 213. 300. 573. II. 135. 330. 338. 396. 614. III. 65. 154. 242. V. 92. 140. 428. 876. VI. 47. 86. VIII. 137. 554. X. 12. 75. 89. 95. 153. 390. 407. 472. XI. 69. 77. 128. 132. 158. 309. 477. 500. 559. 838. XII. 36. 396. 428. 466. XIII. 18. 27. 28. 181. 187. 264. 492. 512. 616. XIV. 48. 61. 98. 124. 215. 411. 420. XV. 621. XIX. 385. XXI. 585. XXII. 160. XXIII. 273. 314. 640. XXIV. 260. 742. Od. II. 356. IV. 694. VI. 26. XVII. 532. XXII. 405. XXIV. 187. Facile haec exempla augeri possunt. Unum, Il. II. 87, propterea reliqui, quod corruptum esse suspicor. Conf. ann. ad. II. 87. Si quaeris, a quo pluralis numerus (ἔμελλον) inductus sit, ab Aristarcho inductum esse ex Schol. A ad VIII. 137 (Ἀρίσταρχος φύγον, ἄλλοι δὲ φύγεν), et ad XIII. 28 (Ἀρίσταρχος ἠγνοίησαν, ἄλλοι δὲ ἠγνοίησεν) discimus. Male vero pluralem ab Aristarcho substitutum esse, vel ex Il. XIII. 28. patet, ubi plurali tum singularis ἄταλλε (XIII. 27), tum digamma vocis ἄναξ adversantur. Wolfius autem et h. l. et VIII. 137 Aristarchi signa secutus est, XIII. 28 ab eo defecit. Nos tamen et h. l. et V. 205. et VIII. 137 ad singularem redimus.

39. Quamquam libri nostri hic et Il. II. 356. 590. XXIV. 512. 696. Od. XIV. 39. XVI. 144. XXI. 237. 383. XXII. 501. XXIV. 415. in στοναχὴ consentire dicuntur, in priscis tamen exemplaribus et hominibus doctioribus ante Aristarchum στεναχὴ probatum fuit. Schol. A ad Il. XXIV. 512 Ζηνόδοτος στεναχὴ διὰ τοῦ ε γράφει. Scholl. Pal. et Harl. ad Od. V. 83 διὰ τοῦ ε στεναχῆσιν αἱ Ἀριστοφάνους. Cur vero στεναχὴ a posterioribus criticis in στοναχὴ commutatum sit, ex verbis Scholiastae A ad XXIV. 512 discimus: ἐκπίπτει δὲ τὰ διὰ τοῦ ε ῥήματα ἐν τοῖς ὀνόμασιν εἰς τὸ ο, λέγω λόγος, μένω μονή· οὕτως στενάξαι στοναχή. At quod possit fieri, non oportere idem fieri, his exemplis evincitur: στέγω στέγη στεγάνη, στέφω στεφάνη, ἀλέομαι ἀλέα, γενέσθαι γενεὰ γενέθλη, ὀφείλω ὀφειλή, κλέπτω κλέπτης, δρέπω δρεπάνη, εἴρω εἴρη σειρά, πείρω πεῖρα. Sed ut de στεναχὴ et στοναχὴ inter se veteres critici dissiderunt, ita de στεναχῆσαι στεναχίζειν et στοναχῆσαι στοναχίζειν. Ac praestantissimi quidem codices, in his Venetus, formae στεναχίζειν suppetias ferunt, quam merito Wolfius Homero restituit. Confer ann. II. 95. Quamobrem cum de στενάχειν nulla sit controversia, cum στεναχὴ Zenodoti et Aristophanis, στεναχίζειν optimorum codicum auctoritate gaudeat, atque στεναχῆσαι verbo magnum ex cognatis illis vocibus praesidium oriatur, στενάχειν, στεναχή, στεναχῆσαι, στεναχίζειν ab Homero profecta esse censeo.

40. Schol. br. et Interpres gr. ap. Bekker. *κατὰ* offerunt, quod recipiendum est, cum Homerus ubique *κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας*, non *διὰ κρ. ὑσμ.* dicat, nec causa sit ulla, cur hoc uno loco variaverit sermonem. Irrepsit vero vulgata ex Hes. Theog. 631. 712. Item Il. XIII. 583 cod. Ven. perperam *διὰ κρατερὴν ὑσμίνην*.

48. Vulgata est *προσεβήσατο*. Sed codd. Ven. Lips. a pr. m. Townl. Mosc. 1. 2. duoque Oxon. *προσεβήσετο* offerunt, quod jam Spitznerus recepit. Conf. ann. I. 428. II. 35.

53. Codices omnes, Scholl. ABL. in lemm. Eustath. p. 172, 10. Plutarch. *εἰ πρεσβ. πολιτ.* p. 789. E. Stob. *περὶ βασιλ.*, atque omnes ante Wolfium editiones in *βουλὴν* consentiunt. Hanc Zenodoti lectionem fuisse testantur Scholl. ABLV. Altera, *βουλή*, Aristarchi lectio fuit. Confer Scholl. ALV. Eustath. p. 172, 13. Corrupta enim videntur, quae apud eundem Schol. A et ap. Schol. B leguntur: *βουλὴν αἱ μὲν πλείους καὶ χαριέστεραι δίχα τοῦ ν γράφουσιν, Ἀρίσταρχος δὲ καὶ Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ν.* Lege *Ἀριστοφάνης*. In verbis vero Schol. A *αἱ πλείους καὶ χαριέσταται δίχα τοῦ ν βουλή, καὶ ἡ Ἀριστοφάνους*, Aristarchi nomen substituendum videtur. Nam ne persequar omnia, idem Schol. A subjungit: *ἀστειοτέρα ἡ χωρὶς τοῦ ν, καὶ Ἀριστάρχειος.* Aristarchus enim negavit *ἵζειν* etiam transitive dici, eos locos, ubi transitiva vis deprehendebatur, commutans. Sed Aristarchi manus effugit unus locus: Il. XXIV. 553 *μή μέ πω ἐς θρόνον ἵζε* (Wolfius male *ἵζε*). Succurrit Apollonius in Argon. II. 36 *ἷζον ἑοὺς δίχα πάντας ἐνὶ ψαμάθοισιν ἑταίρους*, atque verbi *καθίζω* analogia. Compara etiam locum simillimum: Il. X. 299 seq. Recte igitur posteriores critici ab Aristarcho defecerunt. Omnia enim testimonia, quae ad nostram aetatem pervenerunt, faciunt cum Zenodoto, praeter Paraphr. ap. Bekker. et Mosc. 1. ab alt. m., licet Scholl *τὰς πλείους καὶ χαριεστέρας*, i. e. ab Aristarchi auditoribus confecta exemplaria, *βουλὴ* obtulisse tradant. Injuria igitur Wolfius *βουλὴ* recepit. Ad *βουλὴν* jam Freytagius rediit jussu Vossii in Sched. crit I. p. 236.

65. Vulgo *σε κέλευσε* legitur. Sed vide ann. II. 28.

67. Vulgo *πανσυδίῃ* legitur. In codd. quibusdam *πασσυδίῃ* esse, Heynius testatur. Confer ann. II. 12.

73. Vulgo *ἣ θέμις ἐστὶ* legitur. Cod. vero Ven., ubicunque haec formula in Iliade est, *ἡ* exhibet, semel (IX. 33) *ἥ*. Apollon. in lex. p. 344. et Eustath. ad Od. p. 1754, 16 *ἣ* tradunt, quod revocandum esse cum alii viri docti perspexerunt, tum Spitznerus, errantes tamen quod *ἣ* pronomen esse putabant. Adverbium est *ἦ* ut *φή, δή, μή, νή, πή*. Docet hoc Schol. A. tum ad h. l. tum ad IX. 134: *ἣ θέμις ἀνθρώπων πέλει] τὸ η δασυντέον· ἔστι γὰρ ἰσοδυναμοῦν τῷ ὡς, διὸ καὶ ὁ τὲ προστίθεται σύνδεσμος πολλάκις· ὡς γὰρ λέγομεν „ὥστε γὰρ ἢ παῖδες νεαροί“* (Il. II. 90), *οὕτως „ἥ τε ξείνων θέμις ἐστίν“* (Od. IX. 268.). Porro Scholl. BL. ad IX. 134: *δασυντέον καὶ ὀξυντέον τὸ η ἰσοδυναμοῦν τῷ ὡς.* Confer etiam Schol. V. ad VIII. 111. Docte rem illustravit Lehrsius in Quaest. Ep. p. 44 seq.

76. Vulgo κατ' ἄρ' ἕζετο. Equidem ἐκαθέζετο legendum censeo. Confer ann. I. 68.

85. Apollonius in lex. Hom. p. 485 o acui tradit cum alias tum si pro οὗτος sit. Eustath. p. 23, 1 de o demonstrativo idem refert. Uterque hoc exemplo ὃ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς utitur. Cuius placiti mentionem ego non fecissem, quippe quod a Buttmanno in Gramm. I. p. 60 et p. 299 satis sit refutatum, nisi Spitznerus eo perductus esset, ut hoc loco aliisque (v. 90. 94) etiam pluralem οἳ et αἳ accentu ornaret, id quod nemini ante Spitznerum in mentem venit.

87. Bentlejo ϝέθνε' ἴασι pro ἔθνεα εἶσι scribenti adsentior non solum quod ita hiatus illegitimi tolluntur, sed etiam quod ἔθνεα vel ϝέθνεα semper cum plurali praedicati numero connectitur. Vide Il. II. 89. 92. 462. (ubi confer ann.) 465. XI. 724. Od. XIV. 73. Adversatur unus locus Od. XI. 632.

90. Heynius, ut hiatus tolleretur, δέ τοι pro δέ τε legi jussit. Sed Homerus τοι particula non utitur nisi in sermone. Quamobrem δὲ καὶ legendum censeo.

95. Vulgata ante Wolfium δ' ἐστοναχίζετο fuit, eadem est Eustathii lectio p. 180, 3. Cod. autem C. ap. Bentl. δ' ἐστεναχίζετο, codd. Lips. Mosc. 1. Eton. Schol. br. δὲ στοναχίζετο, Ven. et Schol. A δὲ στεναχίζετο offerunt. Item libri inter se discrepant, ubiubi (locis decem et septem) hoc verbum reperitur, sed ita ut praestantissimi codices formae στεναχίζειν aut στεναχίζεσθαι suffragentur. Wolfius igitur στεναχίζειν aut στεναχίζεσθαι ubique recepit (h. l. δὲ στεναχίζετο), Veneti potissimum auctoritate, quantum videtur, ductus, quo in codice semper haec forma reperitur. Idem tamen στοναχεῖν et στοναχὴ ubique retinet, quamquam non solum στεναχεῖν libri optimi offerunt, in his ipse Venetus Il. XXIV. 79, et στεναχὴ Zenodoti et Aristophanis auctoritate gaudet, sed etiam στενάχειν et στεναχίζειν ut στεναχεῖν et στεναχὴ praeferantur, paene cogunt. Qua Wolfii inconstantia jam Buttmannus offensus in Lexil. I. p. 214 seq. propter στοναχὴ et στοναχεῖν postulavit ut στοναχίζειν restitueretur. At minime constat, στοναχὴ et στοναχεῖν Homericas formas esse. Spitznerus vero Exc. III. Wolfio auxilio veniens στενάχειν στεναχίζειν et στόνος στοναχὴ στοναχεῖν componit. Sed et ipse Spitznerus fallitur, quoniam verba in εῖν et in ίζειν tanta cognatione inter se sunt conjuncta, ut derivatione diversa divelli ea non liceat. Videsis αἰνεῖν αἰνίζεσθαι, αἰτεῖν αἰτίζειν, ἀραβεῖν ἀμφαραβίζειν, ἀναπολεῖν ἀναπολίζειν, ἀτρεμεῖν ἀτρεμίζειν, ἀφρεῖν ἀφρίζειν, ἀβακεῖν ἀβακίζειν, ἀκροβολεῖν ἀκροβολίζειν, γαμεῖν γαμίζειν, δειπνεῖν δειπνίζειν, θρυλλεῖν θρυλλίζειν, ἐνθυμεῖσθαι ἐνθυμίζεσθαι, προκαλεῖσθαι προκαλίζεσθαι, καναχεῖν καναχίζειν, καυλεῖν καυλίζειν, κεντεῖν κεντίζειν, κομεῖν κομίζειν, κοναβεῖν κοναβίζειν, κονεῖν κονίζειν, κυανεῖν κυανίζειν, μοχθεῖν μοχθίζειν, ὁλοκαυτεῖν ὁλοκαυτίζειν, πολεμεῖν πολεμίζειν, συγχρονεῖν συγχρονίζειν, ὑστερεῖν ὑστερίζειν, ὠθεῖν ὠθίζειν. Itaque qui στεναχίζειν Homericum esse judicat, στεναχεῖν repudiare ei non licet. Ac si certum est, στενάχειν, στεναχεῖν, στεναχίζειν Homerum dixisse, quis, quaeso, de στεναχὴ

potest dubitare? Confer ann ad II. 39. Hoc igitur loco Wolfium sequor, ita tamen ut augmentum retineam, quod aliis locis ne Wolfius quidem aspernatus est. Vide Il. II. 781. X. 9.

102. Suspicor μὲν ἔδωκε pro μὲν δῶκε legendum esse. Il. XVI. 250 μὲν ἔδωκε, Od. IX. 361 μὲν ἔδωκα, Il. X. 255 codd. Vindd. μὲν ἔδωκε offerunt. Similia sunt Od. XV. 243. XVIII. 322 μὲν ἔτικτε, Il. II. 52. 444 μὲν ἐκήρυσσον.

105. 107. Vulgo αὐτὰρ ὁ αὖτε legitur, in quo illegitimus hiatus inest. Sed ap. Julianum Or. II. p. 51. B, ubi hic locus inde a v. 101 recitatur, αὐτὰρ ὅγ' αὖτε extat. Atque αὐτὰρ ὅγε Homero familiare est: Il. II. 667. III. 328. V. 308. 327. 585. VI. 474. XII. 40. XIII. 399. XV. 479. XXI. 550. XXIII. 896. XXIV. 50. Od. III. 173. XI. 599. XVIII. 398. XX. 140. XXII. 480. Etiam αὐτὰρ τόνγε vide Il. XXIII. 35. Quapropter ὅγ' recipiendum duco. Hiatus autem auctor, si quid video, Aristarchus fuit Nam Schol. A ad XIII. 399 αὐτὰρ ὅγ' ἀσθμαίνων] Ἀρίσταρχος χωρὶς τοῦ γ, αὐτὰρ ὁ ἀσθμαίνων.

115. Scholl. BL. δυσκλέα] ἐκ τοῦ δυσκλεύς, δυσκλέα· ἔστι δὲ ἔλλειψις τοῦ ε, οὐ συναλοιφή· οἱ δὲ νεώτεροι ἐκτείνουσι καὶ περισπῶσιν ὡς ἀπὸ τοῦ δυσκλεής. Recte isti δυσκλεᾶ scripserunt, in quod etiam Bentlejus incidit. Vide Heyn. ad IX. 22. Ita enim hiatus illegitimus tollitur. Item Il. IX. 22 scribendum, et Od IV. 728 ἀκλεᾶ, atque Il. XVII. 330 ὑπερδεᾶ, quod per synizesim pronuntiandum. Porro κλέα (Il. IX. 189. 524. Od. VIII. 73), κέρα (Il. IV. 109. XI. 385. Od XIX. 211 XXI. 395), δέπα (Od. XIX. 62 XX. 153), σφέλα (Od. XVII. 231) natura longum sed vocali proxima hiatuque correptum α habent. Conf. Buttmann. Gramm. I. §. 54. ann. 3. Thiersch. Gramm. §. 193, 36. 40. De κρέα conf. ann. IV. 343.

120. Vulgo αἰσχρὸν γὰρ τόδε γ' legitur. Sed cum Zenodoti lectio (Schol. A. ad II. 110) λώβη γὰρ τάδε γ' cum aliis locis (Il. VII. 97. XVIII. 180. Od. XVIII. 224) tum maxime Od. XXIV. 433. (ubi λώβη γὰρ τάδε γ' ἐστὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι) comprobetur, atque αἰσχρὸν interpretamentum vocis λώβη esse videatur, quod in genuinae lectionis locum irrepserit, Zenodotiam lectionem restituo.

133. Ante Wolfium vulgata h. l. et Il. I. 164 εὐναιόμενον, Il. XVII. 572 εὐναιομένῳ, sed Il. IX. 402. XIII. 380 εὖ ναιόμενον, Il. III. 400 εὖ ναιομενάων, Il. V. 489. XIV. 255. XV. 28. Od. XIII. 285 εὖ ναιομένην, Il. IX. 149. 291. εὖ ναιόμενα, Il. XIII. 815 εὖ ναιομένη fuit Item ναιετάων ante Wolfium modo conjunctum est cum εὖ, modo ab eo disjunctum. Constans vero sibi est vulgata in ἐϋφρονέων, eique cum alii libri tum Venetus ubique adstipulatur. Ac propter ἐϋφρονέων suspicor Wolfium semper εὐναιόμενος et εὐναιετάων scripsisse. Imprudens vero Od. VIII. 574 πόλεις εὖ ναιεταώσας reliquit, qui Il. II. 648 πόλεις εὐναιεταώσας ediderat. Mihi tamen aliter videtur. Nam idem Venetus εὖ semper disjungit a ναιόμενος, praeter Il. I. 164, ubi εὐναιόμενον praebet, semperque a ναιετάων, atque

plurimi et optimi aliorum testium huic codici plerumque adsentiuntur. Quamquam h. l. plurimi in vulgata consentire videntur. Vidi tamen εὖ ναιόμενον in Ven. atque ap. Scholl. ABL. Plus vero quam codicibus et Scholiastis poetae ipsi tribuo, qui Od. IV. 96 (εὖ μάλα ναιετάοντα) aperte ostendit, male εὐναιετάων a Wolfio scribi. Quodsi εὖ ναιετάων genuina est scriptura, quis audet εὐναιόμενον defendere? Ita etiam de ἐϋφρονέων dubitare licebit. Unicum est enim participium, cui εὖ conjunctum est, et dubium, num εὐφρονεῖν unquam exstiterit. Confer Stephani Thes. Gr. III. et Dammii Lex. h. v. Hoc tamen certum, inconstantem sibi fuisse Wolfium et ἐϋφρονέων et (Od. VII. 74) εὖ φρονέῃσι edentem.

137. Heynius ad. I. 245, ubi ipse προτὶ praefert, alios ποτὶ habere nuntiat, sexcentiesque reperiri hanc varietatem. Inde hoc quoque loco alios codices προτιδέγμεναι, alios ποτιδέγμεναι (quae vulgata hodie lectio est) praebere, suspicari licet, etsi silet Heynius. Accedit, quod in Ven. προτιδέγμεναι esse certe scimus. Hoc Freytagius recepit, Wolfius vero ποτιδέγμεναι retinuit. Sed Freytagius recte fecisse videtur. Nam ρ cum primitivum sit, (vide πρό, πρός, προτί, πρίν, πρότερος, πρῶτος, pro, prior, primus), elisum esse a poeta non videtur nisi metro cogente, ut Il. XIV. 398 τόσσον γε ποτὶ δρυσίν. Itaque ubicunque longa vocalis diphthongusve aut consonans litera antecedit, προτὶ aut retineo aut restituo. Quod Zenodoto et Aristophane auctoribus facio. Zenodotum enim Il. II. 62 μαχήσασθαι προτὶ Ἴλιον, Il. II. 801 Zenodotum et Aristophanem μαχησόμενοι προτὶ ἄστυ legisse, traditum est. Qua in re Wolfii mira est inconstantia. Ne omnia persequar, ea exempla, quae Iliade continentur, satis est enumerare. Post longam vocalem προτὶ Wolfius praetulit: Il. VI. 113. VII. 82. 83. 413. XII. 273. XVII. 200. 442. XX. 418, sed X. 108 ἐγὼ ποτὶ edidit. Post diphthongum προτὶ decies: III. 313. VIII. 295. X. 336. XI. 683. XV. 455. XVII. 191. XXI. 607. XXIV. 151. 180. 330, ποτὶ quinquies: VII. 337. 436. IX. 629. XIV. 394. XVIII. 174. Porro post literam consonantem προτὶ bis et vicies: VII. 310. 429. VIII. 499. X. 348. XII. 74. 115. 276. XIII. 657. 724. XIV. 46. 146. XVI. 45. 92. 376. XVII. 131. 193. 396. XVIII. 266. XX. 420. XXII. 21. 356. XXIII. 64, ποτὶ vero semel et vicies: I. 245. 426. II. 137. IV. 112. V. 408. VII. 415. IX. 381. X. 123. 347. XII. 64. XV. 295. XVI. 10. XIX. 234. 336. 395. XXI. 438. 505. 561. XXII. 329. XXIII. 869. XXIV. 353.

139. Vulgata ante Wolfium ἐγὼ fuit. Eam omnes testes confirmare videntur. Vidi certe ἐγὼ in Ven., ap. Schol. A., ap. Eustath. p. 188, 8., in edd. Aldd. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. 4. Steph. Basill. 1. 2. Quam ob rem Heynius et Wolfius non ex libris ἐγὼν desumpsisse videntur, sed ex iis locis, quibus hic versus repetitur. Illis enim locis vulgo ἐγὼν legitur: Il. IX. 26. 704. XII. 75. XIV. 74. 370. Od. XIII. 179. Sed in hoc certe versu perexigua eius formae est auctoritas. Cod. Ven. semper ἐγὼ praebet, praeter XII. 75. Hoc loco, quod dixi, omnes in ἐγὼ consentiunt ante Heynium et Wolfium. Il. IX. 26. Barnesius ἐγὼν intulit ex conjectura, si

recte auguror. IX. 704 codices longe plurimi, in his Ven. et Vind. quintus, editiones omnes ante Barnesium ἐγὼ tuentur, codices Vindd. praeter quintum ἐγὼν offerunt. XII. 75 ἐγὼ Zenodoti fuit lectio, eique codices omnes praeter Venetum, Eustath. p. 893, 24, editionesque ante Turnebum adstipulantur. XIV. 74 et 370 in plurimis codicibus utrum ἐγὼν an ἐγὼ insit, propter Heynii silentium parum innotuit. Sed Ven. Eustath. p. 967, 49. edd. Aldd. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. 4. Steph. Basill. 1. 2. ἐγὼ praebent. Etiam Od. XIII. 179. ἐγὼ in antiquis libris esse vidi. Nec dissentiunt Scholl. BLV., qui ad Il. VI. 71 ἀλλ' ἄγεϑ', ὡς ἂν ἐγὼ εἴπω, πειϑώμεϑα πάντες afferunt. Accedit, quod litera illa Aeolica, quae olim verbo εἰπεῖν praefixa erat, formae ἐγὼ suffragatur. Quae cum ita sint, in hoc certe versu ἐγὼ restituendum censeo. Atque ante digamma semper restituendum videtur, idque bonis libris non raro suadentibus. Altior quaestio est, num ἐγὼν prorsus ex Homeri carminibus sit expellendum, quae Heynii est opinio. Atque adeo Aristarchus ita sensisse videtur. Nam ad Il. IX. 167, ubi vulgata est: ἐγὼν ἐπιόψομαι Schol. A annotat: ἐγὼ] Ἀρίσταρχος ἐγώ, ἄλλοι δὲ ἐγών. Quo loco cum Aristarcho faciunt non modo Schol. A, sed etiam codd. Ven. Vind. un. Schol. L. ap. Bachmann. Etym. M. p. 362, 36.

144. Cum aliorum tum Zenodoti lectio φὴ (pro ὡς) fuit, quae Il. XIV. 499 redit. Quam particulam Joann. Alex. p 31, 12 bene explicat: φὴ ἀντὶ τοῦ καϑάπερ. Cognatae sunt particulae ἦ et πή. Confer ann. II. 73. Adjuvatur φὴ etiam Antimachi et Callimachi testimoniis. Confer Schol. A. ad h. l. Scholl. ABLV. ad XIV. 499. 500. Eustath. p. 999, 24 seqq. Sed Aristarchus, archaismorum adversarius, φὴ expellere cum studeret, hoc loco ὡς aut ex conjectura aut ex libris deterioribus recepit. Id quod in libros nostros transiit. Verum cum Zenodoto faciunt Bekkerus in Cens. ed. Wolf. p. 143. Buttmannus in Lexil. I. p. 236 seq. Thierschius in Gramm. §. 158, 14. Voss. in Sched. critt I. p. 247 seqq. Bothius ad h. l. Aristarcho et Wolfio propugnat Spitznerus Excursu XXVI., qui ὡς κύματα ab Homeri usu non esse alienum recte contra Buttmannum demonstravit, in ceteris propositum non assecutus. Sed de hac re ad XIV. 499 copiosius est disputandum.

Post ϑαλάσσης comma ponatur oportet, quia πόντου Ἰκαρίοιο appositio est. Ea enim pars, quae praestat, toti rei additur explicandi gratia. Vide Il. II. 395 ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ, προβλῆτι σκοπέλῳ. Confer Il. II. 480 seq. XIV. 227. 284. Od. IV. 236. Icarium autem mare prae ceteris procellosum esse vel pueris ex Horat. Od. I. 1, 15 notum.

148. Thierschius in Gramm. §. 322, 3. ἠμύῃ scribendum conjicit. At subjecto mutato, nam ad ἠμύει λήϊον subaudiatur necesse est, mutatur etiam modus. Vide Il. XI. 155 ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ, πάντῃ τ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει. XVI. 297 ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο κινήσῃ πυκινὴν νεφέλην στεροπηγερέτα Ζεύς, ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαί. Confer etiam Il. II. 209 seq.

150. Vulgo ante Wolfium νῆας ἐπεσσεύοντο legebatur. Wolfius νῆας ἐπ' ἐσσεύοντο edidit, quae lectio est Veneti et Schol. A. Idem tamen Il. XIII. 143. XV. 395 τεῖχος ἐπεσσυμένους, Od. VI. 20 ἐπέσσυτο δέμνια, XIII. 19 νῆα δ' ἐπεσσεύοντο parum constanter retinuit. Spitznerus ἔπ' edidit contra grammaticorum veterum praeceptum, qui retrahi vetant praepositionis decurtatae accentum, nisi aut amphiboliae evitandae gratia, ut Il. IV. 97. XVIII. 191, aut si verbi compositi potestatem praepositio induerit. Confer Schol. A ad h. l. et ad IX. 583. X. 273. XVIII. 191.

160. Buttmanno auctore (Gramm. II. §. 117. ann. 4) κάδδέ, vulgatam ante Wolfium lectionem, reduco. Quod Wolfius scripsit, κὰδ δέ, nullo in libro extare suspicor. Apud Aristot. Rhet. I. 6. p. 1362 ed. Bekk. Etym M. p. 400, 38. Scholl. BL καδδέ, in cod. Ven. et Schol. A. καδδεκεν reperitur. Confer ann. II. 176.

165 et 181. Bentlejus μηδ' ἐάα, Thierschius in Gramm. §. 220, 69 ann. 2. μηδ' εἶα conjecit. Thierschii conjectura praestat.

168. Hunc versum, quia in Ven. et sex aliis codicibus abest, Wolfius uncis inclusit. Sed accurate et verbose omnia enarrare, Homericum est.

171. Cum ceteris omnibus locis imperfecto verbi ἅπτομαι augmentum additum sit (Il. VIII. 67. XI. 85. XV. 319. XVI. 778. XX. 468), nec causam inveniam ullam, cur hoc uno loco absit augmentum, ἥπτετο scribendum censeo.

176. Wolfius ut v. 160 (vide ann.) contra librorum auctoritatem: κὰδ δέ κεν. Cod. Ven. καδδεκεν. Quod ante Wolfium vulgo edebatur, καδδέ κεν reducimus.

179. Spitznerus ex codd. Townl. Barocc. et Schol. L μηδ' ἔτ' recepit laudatis Il. III. 407. Od. I. 289. II. 220. Sed Il. XXII. 185 tum omnes libri tum illius loci ratio μηδέ τ' ἐρώει tuentur. Itaque ne hoc quidem loco a vulgata lectione recesserim.

180. Vulgatam ante Wolfium lectionem σοῖς δ' ἀγανοῖς codices editionesque omnes, Schol. A. h. l. Scholl. BL. ad II. 199. Eustath. p. 197, 45: Interpr. gr. ap. Bekker. tuentur. Recte tamen Wolfius δ' expunxit. Primum enim ex Scholl. ALV ad II. 164 elucet, non solum illo sed etiam hoc loco τὰς χαριεστάτας ἐκδόσεις et Aristophanis editionem exhibuisse σοῖς ἀγανοῖς deleto δ'. Deinde saepe in imperativis asyndeto Homerus utitur: Il. I. 334. 363. III. 82. 432. V. 109. XII 343. XVIII. 74. 170. XIX. 347. XXIII. 646 (ubi καὶ etiam est). XXIV. 144. Od. X. 320. XIII. 362. XV. 46. XVI. 436. XVII. 393. 508. 529. 544. XXIV. 54. 357. Denique δ' ab iis additum apparet, qui usus Homerici parum gnari connexionem desiderarent. Quod Spitznero quoque accidit. Nam quod praecedat μηδ' ἔτ' (vel potius μηδέ τ') ἐρώει, negat δ' abesse posse. Idem tamen v. 164 Wolfium est secutus, etsi illo quoque loco omnes libri nostri δ' tueri dicuntur.

181. Thierschius μηδ' εἶα legi jubet. Conf. ann. II. 165.

192. Vulgo 'Ατρείδαο legitur. Sed Schol. A οἷος νόος 'Ατρείδαο] οἷος νόος 'Ατρείωνος· κὰν ταῖς διορθώσεσι καὶ ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτως ἐγέγραπτο, 'Ατρείω-

νος. καὶ αἱ πλείους δὲ τῶν χαριεστέρων οὕτως εἶχον, καὶ ἡ Ἀριστοφάνειος. καὶ ὁ Σιδώνιος δὲ καὶ ὁ Ἰξίων οὕτως γράφουσιν. Tantis auctoritatibus jam Spitznerus, ac recte quidem, cessit, quamquam *Ἀτρείωνος* alibi non legitur. Quod tamen casu factum arbitror, cum *Πηλείωνος* terdecies apud Homerum sit. Etiam *Ἀτρείωνι* semel reperitur (Il. XXIV. 395), octies *Πηλείωνι*, *Ἀτρείωνα* ter (Il. I. 387. II. 445. XXIII. 233), *Πηλείωνα* octies et vicies. Nominativos *Ἀτρείων* et *Πηλείων* vidi nusquam.

195. Vulgo *μήτι* legitur, quod cum sit aut nihil aut nullo modo, alienum ab hoc loco est. Cod. Ven. Scholl. AL. Eustath. p. 199, 15. edd. Aldd. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. Basill. 1. 2. *μή τι* offerunt, quod jam Heynius, Spitznerus, Freytagius reduxerunt. Ita saepe *μήτι* et *μήτις* vitiose pro *μή τι* et *μή τις* editum est vulgo, etiam a Wolfio. Vide Il. III. 107. V. 316. 345. 411. 567. VIII. 95. X. 26. 538. XI. 470. 704. XIII. 52. 649. XIV. 90.

196. Schol. A. *διοτρεφέος βασιλῆος] οὕτως ἑνικῶς αἱ Ἀριστάρχου· καὶ Πτολεμαῖος δὲ ὁ ἐπιθέτης ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἰλιάδος Ἀριστάρχειον ὁμολογεῖ τὴν γραφήν· εἶχον δὲ καὶ αἱ χαριέσταται οὕτως, ἄνευ τῆς Ζηνοδότου, ὃς γράφει διοτρεφέων βασιλήων· ἐπὶ δὲ τὸν Ἀγαμέμνονα ἀναφέρεται ὁ λόγος· διό φησι „φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς“* Schol. L. *διοτρεφέος βασιλῆος] οὕτως αἱ πᾶσαι, πλὴν τῆς Ζηνοδότου.* More suo Scholiastes A lectionem Zenodoti ita commemorat, tamquam conjectura fuerit Zenodoti; sed fuit ea ante Aristarchum vulgata lectio, quod ex Aristotelis Rhet. II. 2. p. 1379 ed Bekker. discimus, ubi est: *διὸ εἴρηται „θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων.“* Nec post Aristarchum omnes singularem praetulisse codicibus Vindd. duobus et Mosc. 2 a pr. m. docemur, qui codices pluralem offerunt. Idem testantur et ipsi Scholl. AL. qui una cum Scholl. BD ad Il. I. 173 hunc versum sic citant: *θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων.* Inde mihi certe constat, redeundum esse ad pluralem. Plurali enim singularis loco Graeci non raro utuntur propter orationis affectum, ut, quae singillatim accipi volunt, eloquantur generatim atque universe. Ita Il. II. 250 *βασιλῆας* iterum ad Agamemnonem referendum, v. 321 *δεινὰ πέλωρα* de uno portento dicitur. Il. III. 49 Helena *νυὸς ἀνδρῶν αἰχμητάων* dicitur, quamquam unius Agamemnonis affinis est. IX. 326 Achilles apud Agamemnonis legatos, Ulixem et Ajacem, sic queritur: *ἤματα δ' αἱματόεντα διέπρησσον πολεμίζων, ἀνδράσι μαρνάμενος ὀάρων ἕνεκα σφετεράων,* i. e. Helenae causa, quod ex IX. 338 luculenter apparet, ubi idem *τί δὲ λαὸν ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀγείρας Ἀτρείδης; ἦ οὐχ Ἑλένης ἕνεκα;* Porro *ἑ* pro *αὐτοὺς* dictum est. Confer Hom. h. in Ven. 268. Orph. Argon. 808 (ubi librorum lectionem *περὶ γάρ ῥά ἑ* Gesnerus tuetur, Hermannus vero in *περὶ γάρ οἱ* mutavit conjecturae suae praefisus.), atque Voss. ad h. in Cer. p. 36. Thiersch. Gramm. §. 204, 5.

202. Edd. Ald. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. Basill. 1. 2. Heyn. *οὔτέ ποτ'*, Ernest.

et Wolf. *οὔτε ποτ'*. Equidem eos sequor, qui *οὔτε πότ'* scribunt. Vide Buttmanni Gramm. I. §. 30. p. 124.

206. Hunc versum codd. Ven. Lips. Townl. Mosc. 1 Vindd. duo omittunt, nec commemorant Scholl. nec Eustath. Ceteri codices, Dio Chrysost. Orat. I. p. 47. Interpr. ap. Bekker. atque omnes editiones ante Wolfium servarunt eum, additum tamen in plerisque est *νόθος*, *στίχος νόθος*. Cuius damnationis causam recte indicavit et explicavit Vossius ad h. in Cer. p. 56 seqq. et in Schedd. critt. II. p. 119. Adde quae a nobis ad I. 393 dicta sunt. Rejectus est enim hic versus a veteribus criticis, quia *σφίσιν* pro *ὑμῖν* dici posse negabant. At frustra negaverunt. Accedit, quod, si versum expungis, abrupta admodum praeter Homeri usum fit oratio. Immerito igitur Wolfius eum uncis inclusit.

Vulgata ante Wolfium fuit: *σφίσιν ἐμβασιλεύῃ*, quam Barnesius ex cod. Cant. et Dion. Chrysost. Orat. I. p. 47 receperat. In aliis libris est *σφίσι βασιλεύῃ* aut *σφίσιν βασιλεύῃ*. Wolfius ad *σφίσι βασιλεύῃ* metrum pessumdans rediit. Vide *ἐμβασιλεύειν* Il. II. 572. Od. XV. 412.

211. Bentlejus *μεγάλα βρέμεται* scribendum censet, quia *μεγάλῳ* friget. Compara Il. XIV. 399 *μέγα βρέμεται*. Il. IV. 425 *κῦμα θαλάσσης . . . . χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει*.

213. Ab Homero hunc versum sic conditum esse suspicor: *ὅς ϝέπεα φρεσὶ ϝῇσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ϝείδει*. Bentleji *ὅς ϝέπεα*, Heynii *φρεσὶ ϝῇσιν* conjectura est. Schol. B ad Il. 212 *ᾔδει* exhibet.

216. Cum versus huius pausa inter primum et alterum sit pedem, *δὲ ἀνὴρ* hiatum intolerabilem efficit. Quod cum Bentlejus animadversisset, duas conjecturas, *δ' ἄρ' ἀνὴρ* et *δ' ἀνδρῶν*, proposuit. At *δ' ἄρα* Homerus non dicit nisi in narratione, atque *δ' ἀνδρῶν* versu 671 rejicitur. Si quid equidem video, Homerus *δέ τ' ἀνὴρ* dixit. Nam *δέ τε* persaepe in descriptione usurpatur: Il. I. 403. II. 210. 456. 463. 814. III. 14. IV. 77. 277. 278. 400. 425. 455. V. 306. 741. VI. 127. IX. 519. X. 226. 362. XV. 624. Od. II. 181. 277.

230. Heynius *ἐκ Ϝιλίου* legendum vidit.

232. Vulgo *ἠὲ* scribitur. Sed ex grammaticorum veterum praecepto *ἦε* reponendum, tum hoc loco tum multis aliis. Jam Il. I. 192, ubi Scholl. ABL *τὸν μὲν πρότερον σύνδεσμον βαρυτονητέον, τὸν δὲ δεύτερον περισπαστέον· διαπορητικὴ γάρ ἐστι ἡ σύνταξις.* Plura de hoc accentu congessit Lehrsius in Quaest. epp. p. 50 seqq. Quibus adde Scholl. ad II. 252. XIV. 21 (quem locum nec Heynius intellexit, nec Spitznerus), XVI. 436. Confer ann. II. 252.

233. Bentlejus ingeniose *οὔ σε ϝέϝοικεν* legendum conjicit. Vide *οὔ σε ἔοικεν* Il. II. 190. Od. XVI. 202.

238. Omnium librorum lectionem *τί οἱ χ' ἡμεῖς* bene explicant Interpr. ap. Bekker. *ἆρά τι αὐτῷ καὶ ἡμεῖς προσβοηθοῦμεν*, atque Eustath. p. 211, 34 *ἢ καὶ*

ἡμεῖς προςαμύνομεν. Etiam nos, non solum Mycenenses, Agamemnoni subditi. Hos enim, Agamemnonem ut deserant, Thersites non hortatur. Atque a libris stetit Wolfius in Anal. litt. Vol. I. p. 434., retinuitque τί οἱ χ' ἡμεῖς prioribus in editionibus. Sed in recentissimam editionem τί οἷ χ' ἡμεῖς Thierschii conjecturam (Gramm. §. 164, 1) recepit, in quam conjecturam incidisse aliquem mirum est, quia κὲ particulae in interrogatione nullus est locus, nisi cum optativo conjunctae. Pingui vero Minerva Spitznerus in Thierschii et Wolfii gratiam (Excurs. XIII. p. 36) Od. IV. 80. VIII. 336 XV. 431. XVIII. 357 allegat, quorum locorum longe aliam esse rationem, unusquisque facile intelligit. Nec ulla est necessitas a libris deficiendi, quoniam recentium demum criticorum est opinio praejudicata, καὶ particulae crasi Homerum abstinuisse. Quam opinionem ut quasi stabiliant, omnes locos, qui obstant ei, mutatos volunt. Vide Thiersch. l. c. Voss. ad h. in Cer. v. 226. Spitznerus Exc. XIII. Nesciunt enim isti viri, quotiens crasibus Homerus usus sit, qua de re vide ann. II. 1.

Vulgo ἠὲ legitur. Sed ἠε legendum esse ad II. 232. 253 demonstravi.

239. Vulgata lectio ἕο est. Zenoduti lectionem ἑοῦ insipienter Schol. A vituperat: Ζηνόδοτος γράφει ἑοῦ· τοῦτο δὲ ἀσύναρθρον καὶ οὐχ ἁρμόζον τῷ λόγῳ. Nescivit enim bonus Scholiastes, ἑοῦ antiquis Graecis dictum esse pro ἕο et οὗ, ut ἑοῖ et ἑὲ pro οἷ et ἕ. Doctior illo Apollonius in Argon. IV. 803. ἑοῦ, et I. 1032. II. 6. III. 1065. 1335. IV. 782. ἑοῖο servavit. Confer Gerhard. Lect. Apoll. p. 93 atque Wellauer. ad Argon. I. 1032. IV. 782. Aeolibus ἑοῦ pro οὗ sive ἕο tribuit Apollon. de pronom. p. 358 B, ipsi Homero Maximus Planudes (Bachmann. Anecd. Gr. II. p. 69), cuius haec sunt verba: ἐν δὲ τῷ ἑοῦ αὐτοῦ καὶ ἑοῖ αὐτῷ καὶ ἑὲ αὐτὸν οὐχὶ σύνθετόν ἐστι τῷ ἑοῦ, ὡς τὸ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἁπλοῦν· οὐδέποτε γὰρ Ὅμηρος συνθέτῳ ἀντωνυμίᾳ ἐχρήσατο. Confer ib. p. 70, 2. Maximus vero Planudes ad Il. XIX. 384, respicit, ubi vulgo quidem ἕο αὐτοῦ legitur, sed illegitimo hiatu, ibique iterum in Zenodotia editione ἑοῦ αὐτοῦ fuisse testis est Schol. A. Quo ex loco magnum nostro loco oritur subsidium Nam cum Il. XIX. 384 ἕο αὐτοῦ vera nequeat esse lectio propter hiatum vitiosum, atque antiquior lectio hiatum tollat, hoc quoque loco, ubi per se ἕο tolerabile est, antiquiorem lectionem praeferendam esse, apparet. Vide denique analogiam harum formarum ἕο, ἑοῦ, ἑοῦς, ἑοῖο et τέο, τεοῦ, τεοῦς, τεοῖο. De quibus docte quidem sed minus sagaciter Buttmannus (Gramm. I. §. 72) disputavit. Num etiam οὗ Homericum sit, ad V. 300 videbimus. Quod qui ab Homero abjudicaverunt, eandem ob causam formae ἑοῦ infesti fuerunt, quippe quam ex οὗ derivandam censerent. Quae opinio cum falsa sit, immerito ἑοῦ rejectum esse vides.

252—256. Schol. A ἀπὸ τούτου ἕως τοῦ ἥρωες Δαναοί, ἀθετοῦνται στίχοι ε̄, ὅτι πεζότεροι τῇ συνθέσει καὶ τὸ ἧσαι οὐ κυρίως ἐστὶ δέξασθαι· οὐ γὰρ κάθηται· οὐδ' ὡς ὁ Διομήδης λέγει „τέττα σιωπῇ ἧσο“ (Il. IV. 412), ἀντὶ τοῦ ἡσύχαζε. Schol. L. ap. Bachmann. ὡς περιττοὶ οἱ ε̄ ἀθετοῦνται· ἔχει δέ τι καὶ ψευδές, ἧσαι ὀνειδίζων· τῶν γὰρ ἄλλων καθεσθέντων Θερσίτης μόνος ἀκοσμεῖ. Scholl. B et Leid.

(v. Heyn.) iisdem de causis duos versus 254 et 255 spurios esse existimant. De editoribus primus Wolfius versus 254. 255. 256 uncis inclusit, ac recte Nägelsbachius duarum recensionum vestigia agnoscit, quarum in altera vv. 250—253, in altera vv. 254. 255. 256 fuerint. Ceterum de ἦσαι errant interpretes veteres, quo verbo aegritudo animi depingitur, ut Il. I. 134 ἧσθαι δευόμενον.

253. Schol. A: διαστάλτέον δὲ κατὰ τὸ τέλος τοῦ στίχου (252), τὸ γὰρ ἐπιφερόμενον τοιοῦτον, πότερον εὖ, ἢ κακῶς· διὸ καὶ περισπᾶται. Legendum igitur ἦε, non quod vulgo editur ἠέ. Conf. ann. II. 232.

262. Schol. A αἰδῶ vulgatam lectionem, eandem Aristarchi et Pamphili, αἰδῷ Dionysiorum et Sidonii et Thracis fuisse, testatur. Knightius vero αἰδοῖ hiatu offensus recte conjecisse videtur. Vide Il. XIII. 568. Hes. Op. 731. Frustra enim, mea quidem sententia, Gerhardius in Lect. Apoll. p. 157 seq. hiatum molestum in quarti pedis fine tueri studet. Nam quae similia exempla afferuntur, in aliis Aeolica illa litera tollitur hiatus, velut Il. I. 145. II. 269. IV. 164. VI. 96. XIV. 501. XVI. 226. Od. XVII. 254. In aliis interpunctione aut vocum transpositione hiatus excusatur, velut Il. V. 215. VIII. 120. XV. 23. XXI. 111. Od. XII. 75. XXII. 386. Porro ut ἢ in thesi saepe producatur, propria huius particulae vi efficitur: Il. I. 27. 151. II. 231. III. 24. V. 484. XV. 161. 271. Od. I. 296. II. 317. XI. 120. XIV. 330. XVI. 356, quibus locis non in quarti modo pedis thesi ἢ ante vocalem produci ostenditur. Qui restant pauci loci, aut ex libris aut conjectura corrigendi videntur. Il. V. 899 enim e cod. Towul. ἀνώγειν, XXIII. 441 ὅρκου γ' e cod. Vrat. b restituam. Il. XI. 554 et XVII. 663. Heynius τρέει legendum vidit. De Odysseae locis videant alii.

269. Bentlejus ἀχρεῖα ϝιδὼν legendum censet. Vide Il. I. 148. II. 245. IV. 349. 411 ὑπόδρα ἰδών, Il. XIII. 184. XVI. 610. XVII. 305 ἄντα ἰδών, Il. XVII. 334. Od. XV. 532 ἐσάντα ἰδών.

278. Schol. A. ap. Bekker. ἀνὰ δ' ὁ] οὕτως Ἀρίσταρχος· τινὲς δὲ χωρὶς τοῦ ἄρθρου, κακῶς. Eadem Scholiastae L. Villoisonius et Bachmannus tribuunt. In articulo vero adsentiuntur Aristarcho non solum Scholl. AL. h. l. sed etiam Schol. A. ad III. 440, codices omnes praeter Vrat. a, in quo articulus abest, omnes editiones ante Wolfium et Heynium. Uterque enim articulo infestior quam Aristarchus (conf. ann. II. 1.) articulo ita uti Homerum negat. Sed falsam esse hanc opinionem ex his locis patet: Il. X. 231. 498 ὁ τλήμων Ὀδυσεύς, 536 ὁ κρατερὸς Διομήδης. XX. 320 ὁ κλυτὸς Ἀχιλλεύς. XXIII. 295 Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην τὸν ἑόν τε Πόδαργον. Il. X. 363 ex optimis plurimisque libris ἠδ' ὁ πτολίπορθος Ὀδυσσεὺς restituendum. Quare ne hoc quidem loco ad librorum fere omnium lectionem dubito redire.

299. Schol. A ἐπὶ χρόνον] Ζηνόδοτος γράφει ἔτι χρόνον, ἀπιθάνως· ἔμφασις γὰρ γίνεται πολλοῦ χρόνου διὰ τοῦ ἔτι (ἐπι ap. Villois.). Quod argumentum falsum esse patet. Alio igitur modo Spitznerus vulgatam fulcire conatus μεῖναι'

ἐπὶ χρόνον sermonem Homericum sibi postulare affirmat. Id tamen cave credas. Vide enim Od. VI. 295. IX. 138 *μεῖναι χρόνον*, Il. II. 292 *ἕνα μῆνα μένων*, Od. XIV. 244 *μῆνα ἔμεινα*, Od. VII. 259 *ἑπτάετες μένον*, XV. 455. *ἐνιαυτὸν μένοντες*, XIX. 199 *δυώδεκα μένον ἤματα*. Porro, cum *ἔτι χρόνον* non cum *μείνατε* solum, sed etiam cum *τλῆτε* conjungendum sit, Zenodoti lectioni opitulantur etiam hi loci: Od. I. 288 *ἔτι τλαίης ἐνιαυτόν*, et II. 219 *ἔτι τλαίην ἐνιαυτόν*. Atque ut hoc loco *τλῆτε καὶ μείνατ' ἔτι*, ita Il. XXI. 608 *ἔτλαν μεῖναι ἔτ' ἀλλήλους* similiter dicitur. Rem jam manifestam alii scriptores insuper comprobant, in his Soph. Phil. 1075 (Herm.) *ὅμως δὲ μείνατε χρόνον*. Trach. 44 *δέκα μῆνας μένει*. Eur. Med. 334 (Elmsl.) *μίαν με μεῖναι τήνδ' ἔασον ἡμέραν*. 367 *τήνδ' ἀφῆκεν ἡμέραν μεῖναί με*. 383 *μείνασ' οὖν ἔτι σμικρὸν χρόνον*. In eadem quidem fabula v. 349 libri videntur omnes praebere: *εἰ μένειν δεῖ, μίμν' ἐφ' ἡμέραν μίαν*, sed recte Porsonus et Elmsleyus ἔθ' substituerunt, et propter ceteros, quos attuli, locos, et quod aliis quoque locis codd. plerique *ἐπὶ* pro *ἔτι* offerunt. Quos locos si cognovisset Spitznerus, vix Zenodoto opposuisset: Od. XIV. 193. XII. 409. XV. 494. Hes. Op. 324, quibus quidem locis *ἐπὶ χρόνον* reperitur (quod dici posse quis negabit?), sed *μεῖναι ἐπὶ χρόνον* (quamquam hoc ipsum Spitznerus affirmat), aut *τλῆναι ἐπὶ χρόνον* non reperitur. Accedit, quod sententia ipsa huius loci Zenodotiae lectioni admodum favet. Nam cum per novem jam annos Graeci bellum gesserint, quid aptius est, quam Ulixem dicere: „Perseverate adhuc aliquamdiu?“ Necesse est igitur *ἔτι* reducatur.

302. Zenodotum *μάρτυρες* pro *μάρτυροι* h. l. atque Il. III. 280. XIV. 274. XXII. 255 legisse Scholl. ABL tradunt. Itaque eundem Il. I. 338 item *μάρτυρες* legisse verisimillimum. Obloquuntur Scholiastae Zenodoto *ἐπιμάρτυρος* et *μάρτυρος* opponentes. Quorum neutro Zenodotus convincitur. Nam cum *υἱὸς* et *υἷες*, *ἀρνειὸς* et *ἄρνες*, *ἡνίοχος* et *ἡνιοχῆες*, *ἐρίηρος* et *ἐρίηρες* dicerentur, quid obstitit, quo minus etiam *μάρτυρος* et *μάρτυρες* diceretur? Ac suffragantur Zenodoto antiquissimorum poetarum testimonia. Vide enim Hom. h. in Merc. 372 *μάρτυρας*. Pind. Ol. I. 34. *μάρτυρες*. Nem. III. 22 *μάρτυρας*. Aesch. Eum. 318 *μάρτυρες*. Quae cum ita sint, Zenodotia lectio vera et genuina videtur esse, vulgata autem ex errore illo grammaticorum originem traxisse.

314. Vulgo *τετριγῶτας*, in codd. Cant. Vratt. b. c. A. ed. Flor. *τετρυγῶτας* legitur. Aptius complures veterum (cf. Scholl. AV ad IV. 412), in his Zenodotus (Schol. A et Eustath. p. 229, 22) *τιτίζοντας* legerunt. Pipilant enim passerculi etiam moribundi, non strident ut spectra et vespertiliones (Il. XXIII. 101. Od. XXIV. 5 seqq.), aut ut terga luctantium (Il. XXIII. 714). Dissentit quidem Schol. A: *Ζηνόδοτος γράφει τιτίζοντας· εὐτελὴς δὲ ἡ λέξις· κατὰ φύσιν γὰρ φθεγγόμενοι οἱ νεοσσοὶ τιτίζουσιν, οἱ δὲ κατεσθιόμενοι τρίζουσιν*, sed argutari videtur. Altera quoque re vulgata in suspicionem vocatur. Post mutam enim literam o in derivatis perfecti formis non producitur nisi in hoc uno *τετριγῶτας*, pro quo Homerus

aut τετριγότας dixisset, aut metro cogente τετρίγοντας, ut et κεκληγότες et κεκλήγοντες dixit, non κεκληγῶτες. Sed Aristarchus (cf. Scholl. Il. XVI. 430. Od. XIV. 30) κεκληγῶτες ausus est scribere. Ergo facile est divinare, qui τετριγῶτας in hunc locum induxerit. Confer Thierschii Gramm. §. 211. p. 344. Memoratu tamen dignum est, Eustathium de Zenodoti lectione minus sibi constare. Nam cum p. 229, 22 idem plane quod Schol. A tradiderit, p. 490, 41 haec refert: τὸ δὲ τεττίζω γράφει Ζηνόδοτος ἐν τῷ, τοὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τεττίζοντας· καί τοι κατά τινας τιτίζοντας ἐκεῖνος γράφει διὰ τοῦ ι, οὐ μὴν διὰ τοῦ ε. Noli dubitare, quin τιτίζοντας Zenodoti lectio fuerit.

318. Vera si est omnium sane librorum lectio ἀρίζηλον, valde conspicuum draconem a Jove redditum esse ex Il. XIII. 244. XIII. 219. 221. 519. XXII. 27. Od. XII. 453 elucet; quod criticorum veterum pars bene intellexit. Confer Schol. L. h. l. Eustath. p. 229, 45. Interpr. gr. ap. Bekker. Etym. M. p. 142, 19. Hesych. I. p. 529. Quo autem modo Juppiter valde conspicuum reddiderit draconem, Ulixes accuratius exponit proximo versu: λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω. Non audiendi igitur sunt ii, qui praejudicata opinione decepti e conspectu sublatum esse draconem opinati sunt, atque, ut opinionem suam probarent, tum versum proximum expunxerunt, tum ἀρίζηλον pro ἄδηλον dictum esse affirmaverunt. Confer Scholl. A. Vict. Etym. M. p. 142, 25 seqq. A quibus paulum recesserunt, qui ἀρίζηλον negantes esse ἄδηλον sive ἀφανῆ variis conjecturis tentabant hunc locum, ἀΐζηλον (Hesych. I. p. 150. Etym. M. p. 31, 54), ἀείζηλον (Apollon. lex. p. 64), ἀΐδηλον (Hesych. I. p. 144. Etym. M. p. 41, 44) scribentes. Quid legerit Cicero, incertum, sed eandem huius loci interpretationem amplexum esse, servato tamen proximo versu ex ejus conversione (de Divin. II. 30) perspicimus: „Qui luci ediderat genitor Saturnius, idem abdidit, et duro firmavit tegmina saxo.“ Etiam Buttmannus (Lexil. I p. 252 seqq.) abditum esse draconem arbitratus conjecturae ἀΐδηλον patrocinatur, eamque Aristarchi lectionem fuisse censet. Cum ipse tamen Buttmannus admodum dubius haereat, atque extremo ad ἀρίζηλον paene redeat, non est, quod multis verbis eius opinionem refutem. At potest alia ratione vulgata lectio impugnari. Nam cum ἀρίζηλον a δῆλον profectum esse oporteat, si recte ἀρίζηλον scribatur, quaeritur, cur nusquam ζῆλον reperiatur? Inde suspicio oritur ἀρίδηλον, Zenodoti lectionem, veram esse lectionem, ἀρίζηλον autem excogitatum esse ab iis, qui de ι vocalis productione, (ea nimirum arsi efficitur) nimis solliciti essent. Cuius sollicitudinis alterum luculentum exemplum afferam. Il. XXIII. 792 ἐριδήσασθαι legitur, et iota arseos vi producitur. Sed fuerunt, qui ἐριζήσασθαι scriberent. Porro ἀρίδηλον jam antiquissimi poetae usurparunt (Simonides, Epigr. 59 ἀρίδαλος Ὄσσα), ἀρίζηλον nemo ante Callimachum, isque ἀρίζηλον a ζῆλος (aemulatio) derivans pro ἀριζήλωτον dicit. Apollonius Rhodius secundum vulgatam lectionem bis ἀρίδηλον (Argon. III. 615. IV. 727), bis ἀρίζηλον (II. 250. III. 958) dixit eodem sensu. Sed

cum III. 958 varia lectio ἀρίδηλον inveniatur, atque etiam alias Zenodotum Apollonius sequatur, ἀρίζηλον tum ex Homeri tum ex Apollonii carminibus relegandum censeo.

323. ἄνεῳ] Veterum magistrorum plerique omnes ἄνεως adjectivum declinationis Atticae esse statuerunt, pro ἄναος, ἄναυος, quod est elinguis, obmutescens. Confer Scholl. ABDL. Apollon. de adverb. p. 554 seq. Etym. M. p. 105, 16. Hesych. I. p. 373. Cuius adjectivi pluralem omnibus fere locis reperiri (vide praeter h. l. Il. III. 84. IX. 30. 695. Od. II. 240. VII. 144. X. 71) adverbium uno loco (Od. XXIII. 93 ἡ δ' ἄνεω δὴν ἧστο). Cui tamen adverbio Od. II. 240 ἅπαντες ἧσθ' ἄνεῳ adversatur. Quamobrem Thierschius (Gramm. §. 184, 18 ann.) Od. XXIII. 93 ἄνεως legendum censet. Contrariam vero viam ingressus Buttmannus (Lexil. II. p. 1 seqq.) adjectivum ἄνεως esse negat atque ubique ἄνεω scribendum et pro adverbio ducendum esse opinatur. Hunc sequitur Spitznerus, qui insuper accentum mutavit, nil monito lectore. Scripsit enim ubique ἀνέω. At ἄνεω, ne dicam ἀνέω, scribi non licet, quoniam hoc adverbium nec originem habet (sunt vero adjectiva in ω derivata), nec analogiam. Confer Thiersch. l. c. Buttmannus pendet animi, et quamlibet admittit derivationem, dummodo adverbium admittatur. Veteres autem ἄνεω ab adjectivo ἄνεως deducunt, non reputantes ex adjectivis in ως adverbia in ω non descendere. Accedit Apollonii Rhodii auctoritas, qui cum ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι (III. 503. 967. IV. 693) conjunxerit, haud dubie adjectivum ἄνεως esse censuit. Placet igitur Thierschii ratio.

328. Heynius τοσσαῦτα ϝέτεα legendum recte conjecit, ϝέτεα enim per synecphonesim bisyllabi mensuram habet. Confer Thierschii Gramm. §. 192, 31, c. De digamma vero huius vocis, cuius testimonia etiam extra carmina Homerica reperiuntur, vide Thiersch. Gramm. §. 153, 34.

330. Ante Wolfium hic et Il. XIV. 48 et Od. XVIII. 271 κεῖνός θ' ὣς ἀγόρευε vulgo lectum est, ac maxima sane gaudet librorum auctoritate. Nam hoc loco omnes et Scholiastarum lemmata in κεῖνός θ' ὣς consentiunt, et suspicor etiam Odysseae loco. Tertio autem loco certe plurimi. Adde Etym. M. p. 508, 26 Eidem lectioni Herodianus patrocinatus esse dicitur. Quapropter Spitznero id reponenti non refragarer, nisi suspicio esset, τῶς, quod Il. XIV. 48 codd. Ven. Lips. Harl. Mori et Schol. A in lemmate offerunt, ab iis mutatum esse, qui cum Apollonio de adv. p. 582, 17 et Schol. A ad XIV. 48 τῶς negarent locum habere, nisi ὡς responderet. Quae regula Od. XIX. 234 refellitur. Quamobrem Wolfium τῶς recte praetulisse judico. Alii γ' ὣς legerunt, in quibus Ptolemaeus Ascalonita fuisse videtur. Quid Aristarchus legerit, incertum. Nam Schol. A. τῶς Aristarcho tribuit, Scholl. BLV. θ' ὥς, Etym. M. p. 508, 27 τόσσ'.

332. Heynius εἴσοκε ϝάστυ scribendo facile digamma restituit. In fine vero versus Bentlejus hiatu offensus ἀλῴη proposuit, certe ἀλώῃ debebat. At ἑλεῖν in iis verbis est, quae digamma modo retinent, modo abjiciunt. Atque abjecti quidem digamma exempla, non est, quod colligam Servati vero haec in promptu sunt: Il. V.

118 ἄνδρα ἑλεῖν, 576 Πυλαιμένεα ἑλέτην. XV. 71 αἰπὺ ἕλοιεν. Il. VIII. 43. XIII. 25. 241. XVIII. 476. 477 γέντο pro εἵλετο. Il. I. 4 δὲ ἑλώρια. V. 684 με ἕλωρ. XVII. 667 φόβοιο ἕλωρ. Hesych. I. p. 817 γέννου, Κύπριοι, καὶ λάβε καὶ κάθιζε. Confer Thiersch. Gramm. §. 153, 27. §. 155, 1.

333. Literae Aeolicae restituendae gratia Bentlejus complures conjecturas proponit: Ἀργεῖοι μέγα ϝίαχον, Ἀργεῖοι δ' ἐπιϝίαχον, ὥς φάτο· λαοὶ δὲ μέγα ϝίαχον. Quartam ego addo: ὥς φάτ'· Ἀχαιοὶ δὲ μέγα ϝίαχον. A simili enim principio Il. XXI. 423 incipit: ὥς φάτ'· Ἀθηναίη δὲ μετέσσυτο.

342. Vulgo γάρ ῥ' ἐπέεσσ' legitur. Sed cum ῥ' absit in Ven. B. et ap. Hesych. I. p. 631, et ap. Schol. A. ad X. 167, delendum id censeo, ut digamma restituatur: γὰρ ϝεπέεσσ'. Idem suadet J. H. Voss. (Anmerkungen, Leipz. 1838. p. 43.).

347. Schol. A βουλεύωσ'] ὅτι βουλεύωσιν αἱ Ἀριστάρχου. Quae verba non intelligens Spitznerus, alios indicativum dedisse suspicatur. Poterat tamen jam ab Heynio discere, ei lectioni, quae nobis in codd. Vratt. A. a. b et in edd. Flor. Ald. 1. servata est, βουλεύσωσ' opponi Aristarchiam. Atque aoristus conjunctivi, futuri exacti munere h. l. fungens, est paulo aptior. Quare βουλεύσωσ' reducendum esse censeo. — Licet αὐτῶν et plurimis et optimis libris commendetur, cum genitivus displiceat magnopere, αὐτοῖς ex Vrat. c Lips. (quo in cod. αὐτοῖς superscr.), Flor. Ald. 1 restituendum esse arbitror. Vide Il. VI. 462 σοὶ δ' αὖ νέον ἔσσεται ἄλγος. IX. 249 αὐτῷ τοι μετόπισθ' ἄχος ἔσσεται. 415 ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰὼν ἔσσεται. X. 213 καί οἱ δόσις ἔσσεται ἐσθλή. XVII. 232 τὸ δέ οἱ κλέος ἔσσεται, ὅσσον ἐμοί περ. 556 σοὶ κατηφείη καὶ ὄνειδος ἔσσεται. Porro Il. XX. 349. XXI. 92. XXII. 54. XXIII. 342. 411. Od. II. 136. 193. VI. 277. XI. 444. XVI. 87. XXII. 345. XXIII. 257. XXIV. 93. Sicubi vero genitivus reperitur, objectivus est, neque quidquam ad αὐτῶν tuendum confert. Confer Il. XIV. 368. Od. I. 40.

349. Comma, quod non solum in editionibus omnibus ante Wolfium, sed etiam in cod. Ven. et in lemm. Scholiastarum BL post γνώμεναι vidimus, necessarium plane, a Wolfio tamen deletum, restituo. Qua in re Spitzneri levitas notanda, Thierschium (Gramm. §. 353, 3. p. 697) eam interpunctionem recte divinasse, nuntiantis. At si vel Ernestianam editionem Spitznerus inspexisset, non divinitus sed ex editionibus vulgaribus illam scientiam Thierschium sibi comparavisse, didicisset. γινώσκω vero non modo hic cum genitivo construitur, verum etiam Il. IV. 357. Od. XXIII. 109. Antiptosim enim, quam vocant, poeta adhibuit, cuius exempla haud rara apud Homerum. Vide Il. II. 409. XX. 310 seq. Od. XIX. 218 seq. Matth. Gramm. §. 296. — Vulgo ἠὲ καὶ οὐκὶ legitur. Sed cum haec particularum connexio εἴτε . . . ἤ, vel per se vituperabilis, nullo alio loco redeat, hoc autem loco

codices Ven. Barocc. Mori a pr. m. Cant. Vratt. b. c. Schol. A. ap. Villois. Interpr. ap. Bekker., ed. Flor. εἴτε pro ἠὲ offerant, atque εἴτε....εἴτε usitata Homero sit connexio (Il. I. 65. XII. 239 seqq. Od. III. 90; etiam Il. XI. 410 εἴτε....εἴτε ex bonis libris restituendum est), non est dubium, quin hoc quoque loco Homerus εἴτε.... εἴτε dixerit. Spitznero tamen aliter visum est. Posteaquam enim Bekkeri et Thierschii conjecturam ἦτε ψεῦδος....ἠὲ merito refellit, ipse miro quodam animi scrupulo stimulatus, quod εἴτε....εἴτε καὶ οὐκὶ nullo alio Homeri exemplo stabiliri posset, ἤ κεν ψεῦδος ὑπόσχεσις, ἠὲ καὶ οὐκὶ legendum conjecit. At cum εἴτε....εἴτε Homero familiare esse viderimus, nec ulla sit causa, cur negationem adjici non licuerit, atque cum Sophocles, gravissimus profecto linguae arbiter, (Aj. 6 ὅπως ἴδῃς, εἴτ' ἔνδον, εἴτ' οὐκ ἔνδον) adjunxerit negationem, nihil ei rei tribuerim, quod apud Homerum non altero loco οὐκ additur. Nam si omnia, quae semel apud Homerum dicta sunt, propter id ipsum, quod semel dicta sint, expelli oportet, quam multa, hercle, sunt expellenda! Quid quod Spitzneri conjectura sensus huius loci pervertitur? Nestor enim si γνώμεναι, ἤ κεν ψεῦδος ὑπόσχεσις, ἠὲ (vel potius ἠε cf. ann. II. 232) καὶ οὐκὶ diceret, Jovis promissum mendacium fore speraret. Confer Od. I. 268. XI. 493. Il. II. 238. 300. X. 445.

351. Quod vulgo legitur: νηυσὶν ἐπ' ὠκυπόροισιν ἔβαινον, vertendum aut in navibus ibant, sie gingen auf den Schiffen umher (Il. IV. 443 οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει), aut ad naves ibant (Il. XVII. 706 ἐπὶ Πατρόκλῳ βεβήκει. Confer Il. XI. 460) Quod utrumque cum ad hunc locum non quadret, vel conjectura reponendum esset, quod Ven. suppeditat: ἐν pro ἐπ'. Nam ἐν νηυσὶ βαίνειν est proficisci, vehi navibus. Confer Il. II. 509. 610. 619. XII. 16. Od. II. 18. 27. III. 131. IV. 656. XIII. 317. XVIII. 181. Vide porro ἰέναι ἐν νηυσὶ Od. II. 226. III. 287. atque νέεσθαι ἐν νηυσὶ Il. II. 453. III. 159. XI. 14. XIV. 505, quo loco σὺν hodie legitur, sed in Zenodoti et Aristophanis editionibus ἐν fuit

352. Wolfius contra omnium librorum fidem Κῆρα majore litera exaravit. Quod quam inepte fecerit, vel ex φόνον perspicitur. Idem tamen permultis locis Wolfio placuit: Il. II 859. III. 6. 32. 360 454. V. 22. 652. VII. 254. XI. 360. 443. 585. XIII. 566. 596. 648. 665. XIV. 408. 462. XVI. 47. 817. XVII. 714. XXI. 66. XXIV. 82. Od. II. 165. 283. III. 410. IV. 273. VI. 11. VIII. 513. XI. 171. XII. 157. XV. 235. 275. XVI. 169. XVII. 82. XXII. 14. 330. 363. 382. XXIV. 127. 414.

356. Pro στοναχάς τε ad II. 39 et 95 στεναχάς τε legendum esse, demonstravi.

365. γνώσεαι scribendum censeo. Confer Il. II. 367 et Od. XVI. 310. Ac ne de correptione deterreare (γνώσεαι ἔπειτα), vide Il. I. 15. 374 χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ. Il. III. 152. Hes. O. et D. 581 δενδρέῳ ἐφεζόμενοι.

376. Ubique *βάλλει* scriptum video. Sed cum praesens parum aptum sit, *νεῖκε' ἔβαλλε* legendum suspicor.

377. Vulgata ante Wolfium lectio *μαχεσσάμεθ'* a Spitznero restituta est, Wolfius vero Aristarchi lectionem *μαχησάμεθ'* receperat. Confer Schol. A ad I. 304. et ad h. l. Sed non modo Aristarchus verum etiam Zenodotus duplici *σ* longam vocalem praetulit in aoristo. Confer Schol. A ad II. 60 — 70. Ac videntur quidem priscae quoque illae editiones, Massiliensis, Argolica, Sinopica, porro Antimachi, Aristophanis, non solum futuro, ubi longa syllaba opus est, *η* tribuisse, sed etiam aoristo. Confer Scholl. ad I. 298. Nostri tamen codices in futuro quidem *η*, sed in aoristo *εσσ* semper fere tuentur. Quam ad inconstantiam Spitznerus rediit, eam in aliis etiam verbis deprehensam (ad I. 298) eoque bene commendatam esse arbitratus. Sed fallitur Spitznerus. Nullo alio in verbo ea inconstantia deprehenditur. Prudentius igitur Wolfius Zenodotum et Aristarchum est secutus.

384. *ἀμφὶς ἰδών*, quod in omnibus libris est, corruptum videtur, non solum propter digamma, sed etiam quia nec *ἅρματος ἀμφίς*, non enim cum genitivo *ἀμφὶς* construitur, si circa significat, nec *ἅρματος ἰδὼν* conjungi potest. Recte igitur Heynius *ἀμφὶ ϝιδὼν* legendum existimat, cui Buttmannus (Lexil. II. p. 227) et Naegelsbachius adstipulantur. Hoc enim Agamemno ait: „Bene unusquisque currum circumspiciat, numqua refectio opus sit.“

388. Vulgo *στήθεσσιν* legitur. Codd. vero Ven. Eton. Vratt. b. c. Mosc. 1. Vindd. complures, edd. Aldd. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. Basill. 1. 2 *στήθεσφιν* offerunt, quod reducendum duco. Item Il. XII. 401 *στήθεσφι*, vulgatam ante Wolfium lectionem, quam codices Ven. Vindd. praeter unum omnes, aliique plurimi tuentur, revocabo. Wolfius ibi ex Lips. Cant. Mosc. frgm. Vind. uno, Eustath. p. 911, 8 *στήθεσσι* recepit.

391 seqq. Aristoteles Eth. Nicom. III. 11. p. 1116 ed. Bekker. *ἀναγκάζουσι γάρ*, inquit, *οἱ κύριοι, ὥσπερ ὁ Ἕκτωρ „ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης πτώσσοντα νοήσω, ... οὔ οἱ .... ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας.“* Sed Aristoteles aliud agens *Ἕκτωρ* scripsit, cum *Ἀγαμέμνων* scribere deberet. Nec enim ad Il. XV. 348 seqq. haec verba pertinere, ipse Aristoteles Polit. III. 14 p. 1284 indicat: *αὕτη μὲν οὖν ἡ βασιλεία οἷον στρατηγία τις αὐτοκρατόρων καὶ ἀΐδιός ἐστιν· κτεῖναι γὰρ οὐ κύριος, εἰ μὴ ἔν τινι βασιλείᾳ, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων ἐν ταῖς πολεμικαῖς ἐξόδοις ἐν χειρὸς νόμῳ. δηλοῖ δ' Ὅμηρος· ὁ γὰρ Ἀγαμέμνων κακῶς μὲν ἀκούων ἠνείχετο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐξελθόντων δὲ καὶ κτεῖναι κύριος ἦν. λέγει γοῦν „ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης .... οὔ οἱ .... ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς· πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.“* Hinc fructum haud exiguum locus noster capit. Primum enim pro *ἐθέλοντα* substituendum est *πτώσσοντα*, quod verbum tum per se gravius est quam *ἐθέλοντα*, tum huic loco aptissimum. Verte enim commate post *νοήσω* posito: „Quem vero ego seorsum a pugna metu se abscondentem videro, ut maneat apud naves.“

Contra vero ἐθέλοντα ex interpretatione ortum videtur, quo facilior esset infinitivi constructio. Postrema autem verba, πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος, genuina esse jam Heynius et Wolfius agnoverunt. Ac compluria hic expuncta esse a grammaticis Alexandrinis recte Wolfius apud Usterium II. p. 60 suspicatus est. Nam ut nunc in codicibus locus exhibetur, abruptam esse orationem et ipsi facile sentimus, et collato altero loco Il. XV. 345 docemur, ubi verba αὐτοῦ οἱ θάνατος μητίσομαι iis, quae Aristoteles ex hoc loco affert, ad amussim respondent.

394. Confer ann. II. 333.

396. Wolfius ap. Uster. p. 61 interpunctione, quae vulgo in fine huius versus reperitur, inductus παντοίων ἀνέμων genitivum absolutum esse opinatur. Quod esse nequit. Immo conjunge κύματα παντοίων ἀνέμων. Item enim Od. XIII. 99 ἀνέμων δυσαήων μέγα κῦμα, Soph. Trach. 113 Νότου ἢ Βορέα κύματα, Il. XI. 305 νέφεα Νότοιο dicitur. Dele igitur comma, quod in nullo antiquo libro extare, suspicor. Abest enim in omnibus iis, quos ego inspexi: in Ven. Aldd. 1. 2. Argentt. 1. 2. 3. Basill. 1. 2. Etiam Eustath. p. 244, 24 et 38, et Interpr. gr. κύματα ἀνέμων conjungunt.

Pag. 8. l. 7. ab ima pro dissiderunt lege dissederunt.